

regul., incip. *Nullus omnino*. Et hoc sæpe sæpius in casibus specificis declaravit sacra congreg. Conc. ut abunde refert Fagnanus in c. *Monachi* 2, De statu monachorum, a n. 61 usque in finem.

(66. Et signanter in causa *Panormitana*, in qua cum quædam monialis præter dotem monasterio tributam sibi reservasset scuta quinquaginta annua pro suis necessitatibus atque indigentis, petiit fieri facultatem illa erogandi in usus prædictos; S. congregat. censuit hanc pecuniam annuam, non obstante reservatione, jam quæsitam esse monasterio: ideoque deferendam esse recte ad manus abbatissæ, quæ primum prospiciat necessitatibus monialis oratrici, et quod reliquum fuerit in usus totius monasterii convertat. (67. Præterea in causa *Neapolitana* propositum fuit S. congregat. dubium ut infra conceptum. In aliquibus monasteriis nonnullæ moniales census et annuos quosdam redditus et proventus seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus; nam aliquæ in ipsarum persona emerunt certos redditus a personis laicis, aliquæ ab aliis monialibus, aliquæ ab ipsis monasteriis, aliæ vero dederunt pecuniam monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine monasterii ad rationem septem vel octo pro centenario, et abbatissæ dabant ipsis monialibus illos redditus, quos ex dictis emptioibus exigebant singulis annis. Aliquæ monasteriis seu eorum superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro indigentis monasterii dederunt, pacto adjecto, vel etiam tacita conventionione adhibita ut monasterium seu abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario eorum vita durante concedat. Quæritur an moniales prædictæ in hujusmodi casibus incurant in pœnas per concilium Trident., sess. xxv, c. 2, *De regularibus*, in proprietarios infictas, etiamsi de licentia abbatissæ, et ad abbatissæ nutum vel conventus seu monasterii nomine percipiant? Sacra congregatio censuit, in nullo supradictorum casuum licere moniales dictos fructus, seu redditus percipere et si perceperint incidere in pœnas d. cap., sess. xxv, *De regularibus*. Neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam abbatissæ, quæ eam d. concilii decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet ex suo munere ex monasterii redditibus, vel elemosynis monialium necessitatibus in dies subvenire. Ex quibus declarationibus apparet, non esse amplius locum opinioni Jo. And. in regul. *Non est obligatorium*; Calderin., cons. 2, *De regularibus*, et Abbat., cons. 88, p. 1, existimantium, licere professo de licentia superioris prælati accipere aliquam annualem provisionem a conventu, vel a provincia, puta scutorum decem, ut exemplificat Jo. Andr., vel quinquaginta, ut inquit Calder et Abb., persolvendam pro vestibus et aliis personalibus necessitatibus.

(68. Item in *Urbinate*, cum archiepiscopus Urbini retulisset sacre congreg. se non potuisse adducere moniales cujusdam mo-

nasterii ad suscipiendam exactam vitam communem: ideoque illis proposuisse ut fieret communis arca cujus clavis penes abbatissam existeret et intus aptarentur tot scriniola, quot essent moniales, ita ut unaquæque haberet claviculam scrinioli sui, et in eo asservaret pecuniam ex laboritio, vel aliunde partam, quæ in ipsius tantum et non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio abbatissæ; sacra congregatio hoc temperamentum ludicrum existimavit, ac repugnans decreto dict. cap. 2, quod jubet ut omnia superiori tradantur, conventuique incorporantur, ideoque mandavit archiepiscopo, ut quoad moniales communem vitam non susciperent interdiceret illis receptionem puellarum ad habitum et professionem.

(69. In monasteriis tamen, in quibus, vel ob carentiam reddituum, vel ob incuriam et negligentiam superiorum vita communis non servatur, nec potest introduci, et monasterium indigentis monialium non supplet, nec ob ejus paupertatem supplere potest, omnes pecuniæ undequaque quæsitæ a monialibus, in capsam depositi conferendæ sunt et registrandæ ac nomine monasterii exigendæ: et exinde, ut monialibus exhibitricibus de necessariis ad vitam provideatur, eisdem elemosynaliter de licentia abbatissæ per depositariam tradi debent: ita enim eo modo, quo potest, servatur votum paupertatis, et tollitur occasio proprietatis, ut cum aliis tradit Donatus, *Præx. rerum regular.*, tom. IV, tract. 15, quæst. 11, 19 et 20, ubi sub n. 2, refert decretum sacre congregationis Visitationis Apostolicæ jussu Urbani VIII factæ die 13 Julii 1627 pro Franciscanis conventualibus monasterii SS. Apostolorum Romæ per hæc verba: « Pecuniæ vero, aliæque res quæcumque Fratrum intra viginti quatuor horas tradantur superiori in commune conventus ærarium reponendæ triplicique clavi custodiendæ, quarum una penes guardianum pro tempore existentem, duæ vero aliæ penes duos alios fratres singulo quoque anno per conventum eligendos, conserventur, ex quibus subministrato exhibitori quantum religiosæ ejus necessitates (status valetudinis, laborumque ratione habita) expostulare videbuntur; reliquum penes ærarium remaneat, et arbitrio duarum ex tribus partibus capituli, seu congregationis provincialis singulis annis faciendæ erogetur. »

(70. Partitæ autem dictæ capsæ communis per computum separatim sic inscribi debent: « Il monastero deve aver da sè per conto di Suor N. N. scudi... » Prout sacra congregatio episcoporum et Regular. rescripsit archiepiscopo Barensi 2 Octobris 1593, cui totam pecuniam proveniente ex monialibus particularibus in capsam communem deponendam esse injunxerat, quoties moniales ex causis supradictis ad vitam communem reduci non possent. Et iterum ita fieri jussit generaliter 4 Febr. 1678, ut refert Crispin., *De visitatione*, § 42, n. 40.

(71. Unde ut moniales in monasteriis, ubi

non adest vita communis, possint licite exigere, retinere et expendere livella, debent quinque conditiones, seu circumstantiæ concurrere; prima scilicet, quod habeant dependentem a voluntate superioris; secunda, ut sint paratæ peculium consignare ad nutum ejusdem superioris; tertia ut pecuniam convertant in licitos et pios usus, et decentes eorum statui; quarta, quod non sit peculium superfluum; quinta, quod sit penes capsam depositi, seu ærarium commune, Donat., *Præx. rer. regular.*, tom. IV, tract. 15, quæst. 11 et 19, et alii plures ibi citati, Monacell. part. 1, tit. 11, formul. 20, n. 4 et 6, ubi habet, quod hæc Donati theoria potest tute praticari et tolerari, prout tolerari posse declaravit sacra congr. in una *Casenaten.* pro monasterio S. Clara illius civitatis rescribendo sub die 12 Mart. 1693, in obsequium card. Denhoff. tunc episcopi vitam communem desiderantis: « Ad mentem, » referente eminentissimo card. Acciajolo, et mens fuit, quod circa vitam perfecte communem nihil esset innovandum.

(72. Livella non possunt a monialibus et regularibus cedi eorum consanguineis sine licentia sacre congregationis, Rota, decis. 610, n. 8 et 9, *coram card. Cerro*, et in *Albanen. locorum Montium* 26 Januar. 1725, *coram d. Calcagnino*: card. Petra, t. V, *Commentar. ad constitut. 5 Pauli II*, sect. 2, n. 7, ubi citat. alias Rotæ decisiones, et testatur, regulares et moniales passim recurrere ad sacram congregationem episcop. et Regul. pro obtinendis licentiis in concedendis livellis suis consanguineis, quæ solent concedi accedente consensu superiorum, et capituli conventualis, ut ipse expertus est, dum erat secretarius dictæ sacre congregationis, ut refert eodem tom. V *Commentar. ad constitut. 12 Sixti IV*, n. 5, in fine. Et revera cum nuperrime quidam regularis Carmelita calceatus petiisset a d. sacra congregatione facultatem transigendi in certa conventa summa pecuniæ pro decursis livelli annualitatibus a suis consanguineis partim non solutis, et partim sub dubio an fierent integraliter solutæ, ex quo utraque pars fuerit negligens in registrandis, et asservandis memoriis, Dicta sacra congr. Episcop. et Regul. sub die 16 Januar. 1739 rescripsit: « concedendo facultatem generali ejusdem ordinis, dummodo narrata vera existerent (narraverat enim a suis consanguineis pluries pecuniaria subsidia ultra suum livellum gratis recepisse) et accederet consensus capitularium conventus, cujus erat filius, et actus fieret nomine ipsius conventus. »

(73. Posse autem moniales et regulares remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia superioris tenent Sanchez ad *Præcepta Decalogi*, lib. vii, cap. 22, n. 16; Diana, *Coordinat.*, t. VII, tract. 3, *De paupertat. religios.*, resolut. 69; card. de Luca, *De regularib.*, disc. 56, a n. 6; Paulut., in *Voto arbit. pro veritate edito in una Casenaten.*, quod registratur in dissertat. 36, art. 2,

per tot.; Ursaya, tom. III, part. II, disceptat. 1, § 18, n. 30, et § 22, n. 35; Valer., *De differ. utriusque fori*, verb. *Munera*, n. 37, et alii passim et Rota, decis. 1162, n. 17, *coram Emerix Junior.* (74. Imo plures ex citatis, et non pauci alii doctores tenent, moniales et regulares posse similes cessiones, remissiones, seu donationes fructuum sui livelli facere absque licentia ad id speciali superioris, sed cum sola licentia generali insumendi tales fructus in suas indigentias et religiosos usus. Et ratio istorum est, quia eo ipso, quod religioso certa quantitas conceditur et præscribitur, censetur etiam dari tacite licentia expendendi in honestos usus id, quod sibi subtrahit ex parcomonia; tum quia per talem donationem seu remissionem monialis, seu regularis nullum damnum infert monasterio, sed parce vivendo et expendendo detrahere videtur concedentiæ suæ personæ, ejusque genio, et ventri id, quod donat, vel remittit, et bulla de largitione munerum, prohibet tantum largitiones munerum, ex quibus damnum, seu grave incommodum infertur monasterio; tum etiam quia ex hac opinione datur occasio monialibus et regularibus, ut libentius abstinentiæ, sobrietati, frugalitati, modestiæ, et moderato sumptui assuescant, dum sciunt ea, quæ sibi de necessariis subtrahunt, posse consanguineis et aliis de se benemeritis donare, et in aliis licitis operibus expendere. Valer., *De differ. utriusque fori*, verb. *Munera*, n. 37; Peyrin., tom. I, *De subdit.*, quæst. 2, c. 2, § 6; Navarr., consil. 3, n. 46, *De statu monachorum*; Beja, cas. 32, vers. *Respondemus*, Ursaya, tom. III, p. II, disceptat. 1, § 22, a n. 35; Paulut., *loc. cit.*, a n. 38; D. Cajetan. de Alexandris in *Confessario monialium*, cap. 4, § 4, q. 6; card. de Luca, *loc. c.*; Diana, *l. c.*, et alii plures, quæ opinio in monasteriis, ubi adest talis consuetudo, si adsit licentia saltem tacita superioris, est vere probabilis, quia taciti et expressi eadem est virtus, l. *Cum quid*, ff. *De rebus cred.*, et cap. 2, *De rescriptis*.

(75. Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam summam, quia pro cessione, seu donatione annualitatum conflantium magnam et notabilem summam, seu pro cessione juris livelli recurrendum est ad sacram congregationem Episcop. et Regul. juxta dicta supra n. 72, cum circa talem summam, et tale jus obstant constitutiones Clementis VIII et Urbani VIII de largitione munerum, ad quarum solummodo formam possunt regulares uti livellis, uti decrevit sacra congr. Episcop. et Regular. in *Florentina* 21 Jun. 1690, *ad relationem eminentissimi card. Petrucci*.

(76. Monialis ex pecunia sui livelli, seu aliunde quæsitæ nequit sibi census emere, seu constituere, neque de licentia abbatissæ, imo neque ipsam pecuniam tradere monasterio, seu abbatissæ pro indigentis monasterii cum pacto, vel etiam tacita conventionione adhibita, ut monasterium, seu abbatissa certos redditus ad rationem tot pro

centenario, ejus vita durante concedat, seu solvat: Sic expresse decrevit sacra congreg. Concilii in dicta Neapolitana relata ex Fagnano supra num. 67. Unde cum quidam regularis dedisset monasterio capitale in pecunia cum pacto, ut ei quotannis certa summa solveretur, subito dubio, an monasterium ad id teneretur? Sac. cong. Episc. nuperrime rescripsit « Monasterium non teneri, » Sic refert card. Petra, t. IV *Commentar. ad constit. 5 Benedicti XII*, sect. 2, n. 29, in fine.

(77. Neque potest monialis ex peculio sui livelli, vel aliunde quæsito, et sibi libere a superiore concessio fundare censum, ut ex ejus fructibus post ejus mortem celebrentur missæ pro anima ipsius, quia cum quidquid acquirat monachus, monasterio acquirat; cap. *Statutum 1*, caus. 18, quæst. 5, cap. *Abbatibus 16*, caus. 18, q. 2, cap. *Quia ingredientibus 7*, caus. 19, quæst. 3; cap. *Inpræsentia 8*, De probat., statim ac census fundaretur, acquireretur monasterio, et non esset amplius fundatio sub dispositione monialis, et proinde non posset eam supponere oneri missarum. Pasqualig., in *Og. moral. juridic.*, quæst. 199, n. 1; D. Cajetan. de Alexandris, in *Confessario monialium*, c. 4, § 2, quæst. 12, et alii passim.

(78. Nec potest monialis tradere amico certam summam pecuniæ ex suo livello, seu aliunde quæsita cum pacto, quod post ejus mortem faciat celebrari tot missas, quia sic monialis disponderet quidem vivens de tali pecunia, sed tamen causa mortis, ita ut dispositio non sortiretur effectum, nisi post mortem; hoc autem esset disporre per modum ultimæ voluntatis, quod est omnino prohibitum religiosis regularibus, Authent. cod. *De sacrosanct. Eccles.*, cap. *Non dicatis 11*, caus. 12, q. 1; cap. *Quia ingredientibus 7*, caus. 19, q. 3; cap. *Quia ingredientibus 2*, De testamentis, cum similibus. D. Cajetanus, *loc. cit.*, q. 13, et alii.

(79. An autem possit monialis dictam pecuniam ex suo livello, seu aliunde quæsitam proprio usui concessam donare alteri cum onere, ut statim celebrentur singulis annis aliquæ missæ in perpetuum? variant doctores. Affirmant enim Ludovicus Lopez, lib. II, *De contractibus*, cap. 40; Navarr. comment. 2, n. 41, *De regularibus*, et alii, quæ dicunt: hoc non est disporre per modum ultimæ voluntatis, cum eo ipso, quod disponat per donationem, disponat irrevocabiliter; de ratione autem dispositionis per modum ultimæ voluntatis est disporre revocabiliter. At melius negant Pasqualigus, *loc. cit.*; D. Cajetanus, *loc. cit.*, quæst. 13; Molina, tom. I, *De justitia*, disp. 140, col. 2, et alii plures: quia monialis, et regularis nec potest facere donationem mortis causa, arg. l. 1, § 1, ff. *De tutel. et rat. distr.*; Reiffenstuel., lib. IV *Decret.*, tit. 26, n. 360, et alii passim. Nisi de re modica fiat donatio mortis causa, quia istam cum consensu superioris, seu superiorissæ, et multo magis ipsum superiorem, seu superiorissam posse facere, tenent Barbosa, in cap. *Quia ingre-*

dicentibus 2, De testamentis, n. 5; Pirhing., lib. III *Decret.*, tit. 26, n. 48; Reiffenstuel., *loc. cit.*; Sanchez, lib. VII *Moral.*, cap. 8, n. 11; Layman., lib. III, tract. 5, cap. 3, n. 4, et alii communiter. Tum quia in nostro casu non intervenit vera donatio, sed deputatio dictæ pecuniæ pro celebratione missarum, quæ videtur dispositio per modum ultimæ voluntatis, cum illud onus injunctum continet etiam post mortem, quod est omnino prohibitum religiosis regularibus, per citata jura, num. antecedenti.

(80. Supradicta omnia clare deducuntur ex eo, quod Sedes Apostolica quotiescunque per sacram congregationem episcoporum, aut Concilii facultatem habendi livella, seu vitalitia regularibus, aut monialibus concedit, solet adjicere sequentes conditiones: « Dummodo annuus redditus a procuratore monasterii exigatur, et recta via deferatur in commune depositum, et tunc de manu depositarii, et de licentia superiorum ipse orator recipiat quantum, et quatenus opus fuerit, et in suas religiosas necessitates applicet, applicatorumque, quoties a superioribus fuerit requisitus, rationem reddat, et residuum in communes monasterii necessitates erogetur. » Sic refert cardinal. Petra, tom. IV, *Commentar. ad constit. 5 Benedicti XII*, n. 38, et Rota part. XVI *Recentior. decis.*, dec. 405, n. 5, vers. *Tota*. (81. Et de facto in *Panormitana*, cum quædam monialis præter dotem monasterio tributam sibi reservasset scuta quinquaginta annua pro suis necessitatibus, atque indigentibus, petiit sibi fieri facultatem illa erogandi in usus prædictos; sacra congreg. Concil. censuit « hanc pecuniam annuam, non obstante reservatione, jam quæsitam esse monasterio, ideoque deferendam esse recta via ad manus abbatissæ, quæ primum prospiciat necessitatibus monialis oratrici, et quod reliquum fuerit, in usus totius monasterii convertat. »

(82. Alias consimiles sacre congregationis declarationes refert Ursaya tom. III, part. II, disceptat. 1, § 13, et signanter sub n. 7, ubi de redditibus vitalitiis, quos quædam moniales reperiebantur in possessione de se recipiendi et retinendi nomine proprio, sac. congreg. Conc. censuit, « hos redditus ab ipsamet abbatissa exigere, et ad ipsius manus recta deferri oportere, de quibus pro suo arbitrio subveniet in primis necessitati monialium, quarum intuitu hi redditus monasterio obvenerunt, cæterum, quod supererit, in communem monasterii usum convertat. » Et sub n. 3, refert aliam emanatam die 16 Novemb. 1629, ibi: « Che le sovvenzioni annue, che si assegnano alle monache particolari per le loro religiose necessità, siano da principio volontarie a parenti. Le monache poi siano obligate di tenere li frutti di tali assegnamenti nel commune deposito, e che si prendano dalle mani della badessa per le loro religiose necessità solamente; ed il residuo s'impieghi nelli usi comuni del monastero; » et sub n. 5, refert aliam emanatam 11 Februarii 1678, approbatam ab Innocentio XI, cum addito: « che

si levi ogni altro abuso introdotto contro le buone regole monastiche, massime quelle di aver trovato tal forma di vivere, e tali abusi nel tempo del loro ingresso nel monastero. » Merito proinde concludens cum doctissimo episcopo Crispin. Nella *Visita pastorale*, part. II, § 42, n. 39, in medio, quod in his terminis a monialibus inalleghabilis est usus in contrarium, attento dicto oraculo Pontificio, et resolutione ejusdem sacre congregationis; et Donat., *Rer. regul.* t. IV, tract. 15, *De voto paupertat.*, quæst. 5, n. 3 et 4, ac Fontan., *ad constitut. ord. Prædicator.*, verb. *Professio*, n. 11, fol. 530, dicunt: « Ex clara dispositione capituli generalis Parisiis celebrati an. 1611 ad monit. 3, utriusque sexus regulares viventes sub habitu S. P. Dominici tenentur ad observantiam regulæ, et constitut. nostrar., non prout hic, vel ibi servatur, sed simpliciter, prout littera sonat. » Hæc ille.

(83. Hinc legatum relictum moniali, seu regulari in particulari sub conditione, quod, quando vivit, pertineat irrevocabiliter ad eam, vel eum, independenter a licentia superiorissæ, vel superioris, non debetur ipsi moniali, seu religioso, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. Vide verb. LEGATUM, n. 8.

(84. Imo legatum relictum moniali, seu regulari nec momento temporis potest esse apud eam, vel eum, sed illico acquiritur monasterio. Vide d. verb. LEGATUM, n. 89 et 90.

(85. Nec moniales et regulares in particulari possunt habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcumque suorum superiorum. Vide d. verb. LEGATUM, n. 91.

(86. Imo talis licentia, etiamsi esset obtemperata ab eorum generalibus, qui dicerent, eam posse concedere, non excusaret moniales et fratres a culpa, et pœna a concilio Tridentino imposita. Vide d. verb. LEGATUM, n. 92.

(87. Adducitur advertentia diligenter habenda. Vide d. verb. LEGATUM, n. 93.

(88. Insuper adducitur conclusio doctissimi Fagnani semper attendenda. Vide d. verb. LEGATUM, n. 94.

(89. Livella monialium administrari non possunt a se ipsis juxta oraculum Clementis XI 28 Julii 1708 et 26 Januarii 1709, de quo in *Synod. Fulginaten.* Baptistell., in *Appendic.*, fol. 181, relat. ab Ursaya, in *Miscellan. sacro et profano 1*, lit. L, n. 127.

(90. Monialis et regularis transiens ab uno monasterio ad aliud desert secum livellum ad secundum monasterium, vel secundam religionem, quia livellum, seu vitalitium est personale, et sequitur personam religiosæ, seu religiosi, pendetque ab illius vita; cardin. de Luca, *De regular.*, decis. 57, n. 19; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. I, tract. 8, *De transeuntibus*, q. 61, n. 9 et 10; Ursaya, tom. III, part. II, discep. 1, § 12, n. 29; card. Petra, tom. IV *Commentar. ad constit. 5 Bened. XII*, sect. 2, n. 60, ubi refert sic resolutum fuisse a congreg. particu-

lari in *Romana annui redditus 7 Jun. 1707*, cui congregationi et ipse ut unus ex deputatis interfuit.

(91. Monialis an, et quomodo pecuniam ex suo livello, et aliunde quæsitam possit ludo exponere? Vide verb. LUDUS, a n. 9 ad 12.

(92. Alia de livellis, et annuis redditibus, vide Ursayam, tom. IV, part. II, disceptat. 1, § 22, per tot.; card. Petram, tom. IV *Commentar. ad constit. 5 Benedicti XII*, sect. 2, per tot.; Fagnan, lib. III, *Decretal.*, in cap. *Monachi 2*, De statu monachor., per tot.

(93. Episcopus, vicarius generalis, qui libet alius prælatus et officialis, seu deputatus nihil accipere potest pro ingressu et professione monialium, pro exploratione, pro approbatione depositi dotis, pro licentia et hujusmodi, ut sæpe sæpius decrevit sac. cong. Episc. et Regular., et signanter in *Tranen.* 30 Maii 1668; in *Iserniens.* 6 Junii 1642, et expresse Innoc. XI, die 1 Octobris 1678, in sua *Taxa* dicta communiter *Innocentiana*, § *Generalmente*, ibi: « Generalmente in tutto quello, che riguarda i monasteri delle monache ed i conservatorj di quelle donne, le quali a guisa di monache rispettivamente vivono ritirate, il vescovo, o altro prelato, il vicario, così generale, come particolare, e qualunque altro ufficiale, o deputato, ed il cancelliere, ed anche i parenti, ed i familiari del vescovo, o prelato, e de' suoi officiali, non possano esigere, e ricevere emolumento alcuno in denaro, ed in altre cose, eccetto che quelle commestibili, che siano proporzionate all' uso, e consumo proprio dentro tre giorni, anche con titolo di donativo, per l'ammissione all'abito monastico, per l'approvazione del deposito della dote, per la professione, per l'ammissione dell' educande, ed altre donne secolari, per le rinunzie, che si fanno dalle novizie, per l'elezione dell' abbadessa, o altra superiora, per le licenze de' medici, chirurgi ed operarij, per le licenze di parlare alle monache, ed altre, che sono nel monastero, per la deputazione de' confessori, cappellani, procuratori, esattori ed altri ministri, e generalmente per ogni altro atto, che riguarda al governo; ma solamente il cancelliere per il rogito delle rinunzie, et per li atti, che convenga fare sopra la giustificazione del deposito della dote, possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, purchè non ecceda in tutto giulj 5 moneta Romana, ovvero l' equivalente alla moneta del Paese. »

Additur attendenda ad rem sequens epistola sacre congregationis Episcoporum, et Regularium, transmissa die 23 Martii 1719 eminentiss. et reverendiss. card. Jacobo Boncompagno archiepiscopo Bononiensi, et relata a Benedicto XIV, in egregiis suis *Notificationibus*, volumine II, notificatione 9, n. 7, in fine lib.

(94. « Si è compiaciuta questa sacra congregazione nella relazione fatta nuovamente in quest' oggi dell' informazione di Vostra Eminenza toccante la contumacia di coleste

monache di S. Mattia circa la revisione de' conti, da cui si pretendono esenti, come soggette al governo de' regolari, recedendo da quanto aveva sopra di ciò deciso dopo il giorno 10 Febbrajo, di decretare, che l'E. V. in vigore delle costituzioni Apostoliche, e in specie della bolla della S. M. di Gregorio XV e delle risoluzioni altre volte prese dalla medesima, e dalla sacra congregazione del Concilio, possa coartare le monache del mentovato, ed altri monasterj sottoposti ai regolari ad esibire i conti dell' amministrazione economica, e riconoscere; se i depositi delle doti seguano secondo gli ordini di questa sacra congregazione, conformandosi nel resto alla proibizione fatta alla badessa, e monache di non ammettere all' abito veruna zitella senza la precedente licenza. Glielo significo con baciarle riverentemente le SS. Mani.

(95. * In ingressu monialium in monasterium dotis solutio approbatur ea, quæ datur non ad ingressum in religionem, sed pro contractu, quem facit religio cum illa quæ ingreditur obligans sese ad ejus sustentationem. (96. Si vero monasterium per se sit dives, ut sufficere ex suis possit monialium sustentationi, tunc utique præstaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quamquam id agendum non est, nisi prius consulta S. congregatione Concil. *De synod. diac.*, lib. vii, c. 56, § 6; lib. xi, cap. 6, n. 6, nov. edit.

(97. Quoad prandia, cœnas et munera, quæ ab ingrediente moniales exigunt, perseverare censet Pontifex prohibitionem factam ab Urbano V, Extrav. 1, *De simon. inter comm. Ibid.*

(98. Modum tamen imponendum sumptibus apparatus et comessationum, ac pompæ, quæ fiunt in ingressu monialium censet Pontifex, usus opportune hac in re doctrina Navarri in *Tract. de reat. eccles. Ibid.*, § 7.

(99. Annuæ præstationes, quas consanguinei solvunt designatis monialibus, vitæ communi minime repugnant, sed requirunt, ut omnia manibus præpositæ consignentur, quæ prius consulere debet indigentis illius monialis in ejus gratiam collatæ sunt; et si quid reliquum, in ceterarum levamen erogetur. *De syn. diac.*, l. xiii, c. 12, § 19, nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(100. Plura hoc in articulo cumulat auctor de num. monialium, de dote et de livellis. Nos pauca addemus, vel confutando, vel declarando, vel supplendo ipsum auctorem.

Ad numerum monialium quod attinet, tenet auctor, n. 5, dispositionem cap. *Periculoso* §, *Sane*, De stat. regular., in 6, qua irrita declaratur professio monialis ultra numerum receptæ, contrario usu esse abrogatam. At hanc opinionem improbant Castropalaus, tract. 16, d. 1, q. 7, § 6, n. 5; Pellizzar., *De monial.*, cap. 2, sect. 1, n. 7, auctentes sibi constare nonnullis in locis ser-

vari, adeoque inspiciendam esse consuetudinem regionum, et secundum eam judicandum. (101. Quinimo meo iudicio, attendita hac diversitate, in locis, in quibus nec favorabilis, nec contraria obtinet consuetudo, standum est dispositioni dicti textus.

(102. Quoad vero dotem, verum regulariter est quod tradit auctor, n. 18, moniales velatas absque dote non esse admittendas, conversas vero posse sine dote aliquando admitti propter necessitatem. (103. Cæterum si contingat adolescentulam aliquam esse monasterio ad aliquem usum, puta ad pulsandum organum, necessariam, hanc etiam uti velatam admitti posse sine dote, quidquid contradicat Pellizzar., *De monial.*, c. 3, sect. 2, n. 46, non improbabilius alii tenent; idque quia eadem necessitatis ratio, quæ permittit admissionem conversæ sine dote, permittit et in hoc casu debet admissionem velatæ, pariter sine dote.

(104. Non solum dos monialium diminui nequit, absque licentia S. congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ, ut notavit auctor, n. 32, sed nec a principio taxari amplius potest a superiore monasterio, sive is sit episcopus, sive prælatus regularis, sed debet ab ipsa S. congregatione taxari. Pellizzar., *De monialib.*, c. 3, sect. 2, n. 43.

(105. An possit monialis admitti cum dote majori, quam quæ taxata est, hac tamen lege, ut ad officia consueta monasterii haud teneatur? (106. Afirmat Pellizzar., *De monial.*, c. 3, sect. 2, n. 45, qui tamen una monet, in casu urgentis necessitatis posse cogi monialem illam ad exercenda mox dicta officia consueta monasterii. (107. Verum, ut Pellizzario scripsit Bordonus, haud debet mulier ratione majoris dotis recipi hoc cum pacto, utpote contrario voto obedientiæ, et si recipiatur, pro non appposito haberi debet dictum pactum. Accedit, quod dedecet augeri dotem jam taxatam hoc nom. quod non teneatur monialis ad consueta officia monast.

(108. Quod demum concernit livella, quidquid alios allegans contradicat auctor, * n. 73 et sequent., semper, ac fit a moniali unica remissio livellorum pro futuris annis, opus est licentia Summi Pontificis, cum hæc remissio sit alienatio, ut post Bordon. aliosque firmat Capon., discep. 94, n. 37.

RESPONSIO AUCTORIS.

* Ast ego auctor expresse teneo, requiri ad id dictam licentiam, ut clare patet, n. 72, ubi inter alia refero etiam decretum sacr. congr. Episcop. et Regular. 16 Januarii 1739, n. autem 73 et 74, refero tantummodo opinionem aliorum, non eam sequendo, ut evidenter demonstro dicens: « Et ratio istorum est, » etc. *Vide ibi etiam sub n. 75.*

(109. De livellis quæri solet, an possint ea assignari, vel relinquere ea conditione, ut nihil acquiratur monasterio? « Sed Domini (recte ait Rota inter impress. post Torr. *De pact. futur. succes.*, decis. 47, n. 7, et plur. sequent.), re bene considerata, existima-

runt, hanc reservationem continere conditionem impossibilem, et omnino repugnantem, cum monacho aliquid habere non permittatur in proprietate, sed totum sit monasterii, etc., adeoque annexa est regulæ monachali proprietatis abdicatio, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, etc. Inferebant, quod non poterant dicti ducati 70 reservati pervenire in utilitatem et commodum P. Henrici, quin simul monasterio quærerentur, alias esset quædam repugnantia, et contradictio, quæ vitaret supra dictam reservationem, etc. Hinc ad sustinendum actum, memorata renuntiationis verba sic intelligi debere, ut monasterium patiatur dictum Henricum ducatos 70 reservatos habere eo modo, quo potest, etc. Huic juridicæ interpretationi nihil repugnat licentia S. congreg. quia, restricta reservatione ad solum usum, et commoditatem monachi reservantis, necessario sequitur, quod integrum maneat jus superioris hunc usum revocandi, et ad proprias et honestas necessitates restringendi, cum hoc modo salvetur reservatio, ut in nihilo pugnet cum religionis substantia. » *Vide et Rotam post eundem, decis. 75.*

(110. Major quæstio est, an livella cessent acceptata in monasterio vita communi? Sed hanc quæstionem diremit S. congregatio Episcoporum et Regularium negotiis præfecta in *Casertan.* 1 Februarii 1692, negative respondendo monialibus Spiritus sancti et Sanctæ Catharinæ Casensæ, quæ eam hac de re consuluerant. Decretum hoc refert Paulut., dissert. 36, art. 3, n. 40.

(111. De livellis, an gaudeant privilegio dotis, *vide cardinal. de Luc., De regul.*, discur. 34, n. 1; Rot., in *Recent. decis.*, dec. 39, n. 13, part. xi.

APPENDIX.

(112. Ad ea quæ ab auctore dicta sunt articulo II addendam duximus recentissimam dispositionem Clementis XIII Pontif. Maximi super expensis, quæ fiunt a monialibus sacristiæ præfectis, per chirographum a Sanct. sua Ferdinando Mariæ de Rubeis patriarchæ Constantinopolitano, vicariatus Urbis vicegerenti, S. R. Eccl. cardinali directum; en ejus verba:

« A Monsignor Ferdinando Maria de Rubeis, patriarcha di Costantinopoli, del vicariato di Roma vicegerente.

« Le sacre Vergini dedicate a Dio ne' chiostrì vestendo l' abito religioso, hanno avuto una giusta sicurezza di vivere affatto lontane da ogni sollecitudine temporale, e li nostri gloriosi predecessori hanno avuta continua premura di dare opportuni provvedimenti, perchè niuna cosa le distogliesse da questo santo e lodevole oggetto. Quindi è che hanno impedito tutto quello, che potea dal medesimo allontanarle, per ragione degl' Offizj, che debbano ne' loro monasteri adempire, e specialmente per quello di sagrestana. Ma perchè li provvedimenti dati non s' eseguiscono, sono altresì gravissimi gl' inconve-

nienti, che succedono, e che pur troppo ci sono stati rappresentati con replicati continui ricorsi. A questi inconvenienti volendo Noi rimediare, con la presente cedola di moto proprio, ordiniamo a voi, che proibiate in nostro nome alle superiore religiose di permettere, che le loro monache destinate all' officio di sagrestane facciano in avvenire alcuna spesa in occasione delle feste, che si debbano solennizzare nelle loro rispettive chiese; essendo mente nostra, che qualora le medesime chiese siano bastantemente provvedute d' apparati propri, si mettano questi in opera a spese comuni del monastero: ma quando ne fossero prive, non si prendano le religiose incaricate dell' officio di sagrestane altra cura, e sollecitudine, che quella di far disporre sopra gli altari que' sacri arredi, e suppellettili, che si trovano avere, con la maggior decenza compatibile alle forze dello stato economico del medesimo monastero. Siccome però non intendiamo pel rimanente d' impedire a' monasteri facoltosi la celebrazione delle feste con la consueta pompa, purchè sia interamente sagra, ed ecclesiastica; così vogliamo, che generalmente si proibisca a tutti il framschiarvi rinfreschi di qualunque sorte, non solo perchè danno occasione a spese inutili, e di scandalo a' secolari, ma perchè distruggono le religiose da quella divozione, e raccoglimento, che debbono avere nel corso di tutto l' anno, e molto più ne' giorni con particolarità dedicati o alla venerazione del santo fondatore, o al titolare, sotto la protezione de' quali vivono. Proibiamo ancora, che le sagrestane a proprie spese facciano in simili occasioni, ricognizioni, o regali a qualunque sorta di persone, o dentro, o fuori del monastero. E vogliamo, che le superiore restino incaricate dell' esecuzione esatta di questa nostra volontà; e che in caso di contravvenzione restino sospese dal loro impiego, riservando a Noi la facoltà di reintegrarle, quando attese le circostanze crederemo di doverlo fare.

« Dato dal nostro Palazzo Apostolico a Monte Cavallo questo di 30 Giugno 1759. »

ARTICULUS III.

Moniales quoad ea quæ concernunt clausuram.

SUMMARUM.

1. Clausura ante tempora Bonifacii VIII fuit solum sub consilio. — 2. Clausura a quo primo sub formali et absoluto præcepto fuerit indicta? — 5. Ad clausuram tenentur nunc moniales omnes professæ ejuscunque regulæ, et ordinis, et nominis, et etiam tertiariæ in congreg. viventes, et tria vota essentialia emittentes. — 4. Et si renuant, prohibetur eis receptio ad habitum. — 5. Quamvis clausura non contineatur formaliter in Regula ejuscunque monialis, continetur tamen virtualiter sub tribus votis, et signanter sub voto obedientiæ. — 6. Hinc moniales profitentes hac conditione, ut clausuræ non obligentur, non sunt veræ professæ. — 7. Moniales temere egredientes a clausura sui monasterii, ultra alias gravissimas pœnas, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem. — 8. Supradictas pœnas incurrunt episcopi, alique superiores monia-